

pendiorum perit Germanis, Anglis, Danis, & Polonis? *Gi.* Plurimum haud dubie, & quidem non sine gravi tum valetudinis tum ingenii detimento. *Fa.* Sed quid obstabat, quo minus tibi sufficeret ille victus? *Gi.* Quia diversis assueveram; & serum jam erat mutare consuetudinem: quanquam me non tam offendebat ciborum exiguitas, quam corruptio. Duo ova poterant sufficere, si fuissent recens nata: vini cyathus erat satis, nisi pro vino daretur fæx vapida: dimidium panis aluiisset, nisi pro pane daretur argilla. *Fa.* Adeone sordidum esse Antronium in tantis opibus? *Gi.* Arbitror censem illius non fuisse infra octoginta ducatorum millia. Nec ullus erat annus quo non accederet lucrum mille ducatorum, ut dicam parcissime. *Fa.* Sed juvenes illi quibus hæc parabantur, num eadem utebantur parsimonia. *Gi.* Utebantur, sed domi duntaxat; foris ligiebant, scortabantur, ludebant aleam: cumque pater in gratiam honestissimorum convivarum gravaretur teruntium impendere, juvenes interdum una nocte sexaginta ducatos perdebant alea. *Fa.* Sic perire solent quæ sordibus corraduntur. Verum è tantis periculis incolmis, quo nunc te confers? *Gi.* Ad vetustissimum Gallorium contubernium, sarturus quod illic dispendi factum est.

### *Exequiæ seraphicæ.*

#### \* THEOTIMUS, PHILECOUS.

*Ph.* Unde nobis Theotimus, nova religio-  
**U**nis facie? *Th.* Qui sic? *Ph.* Quia severa  
frons,

Theotimus] Qui Deum veneratur & colit.  
Philecouus, audiendi cupidus, fama investigator.